



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 27. De felicitate animæ, quæ ab omnibus separata totam se Deo  
committit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

Examina te serio super hisce charitatis effectibus, ut perspicias, an eorum habeas initium. *ab! quantopere hoc examen te confundet? & quantum tibi incutere terrorem debet?* November.

In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. *1. Joan. 3. v. 16.*

Semper debeo charitatem, quæ sola reddita detinet debitorem. *Aug. Epist. 61.*

## DIES XXVII.

**De Felicitate Animæ, Quæ Ab omnibus separata totam se Deo committit.**

### I.

QUAM felix est anima illa, quæ ab omnibus libera, & expedita non nisi Deum vult, & quærit, eique se totam committit. Quantas ea divitias non invenit in hac omnium rerum nuditate? hoc proprium est animarum, de quibus D. Paulus ait: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* *2. Cor. 6. 10.* Hæc est optima illa pars, quam elegit Magdalena, quæque auferri ab ea non poterat. Anima sic comparata est  
san-



**November.** sancta sui impotentia Deo dicit : omnes meas divitias in hac nuditate, & rerum terrenarum expoliatione repositas habeo, nimum dives in hac mea paupertate, modo Deum possideam. Totam meam felicitatem, & voluptatem in eo colloco, quod omnibus carnis, & sensuum illecebris, atque animi remissionibus careat; modo Deo meo fruatur, eumque degustem. Omnem gloriam meam in eo sitam esse censeo, quod nuntium remittam omni gloriae, omnibusque honoribus, nimum felix, si per mei depressiones, & contemptus gloriam Dei mei promovere queam.

II. Anima perfectae nuditati hunc in modum addicta aliam habere voluntatem non desiderat, nisi voluntatem Dei, nulla desideria, nisi ad Deum, nullam spem, nisi in Deo, praesidium nullum, nisi in Deo. Tota vult esse Dei, & ut Deus ipsi sit omnia; vult, ut is sit bonum suum, requies, oblectatio, gaudium, gloria, vita, unica & suprema felicitas sua, haec verè dicere cum S. Francisco potest: *Deus meus, & omnia.* Quo igitur reliqua omnia apud eam sunt loco? Cui Deus est omnia, dicebat Divus Franciscus Salesius, mundus ei nihil est, haec perfectè cupit

Davi



Davide sentit, & exclamat: *Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea;* & qui nunc penitus me reddis felicem, quantò felicior me reddes in aeternitate? hi sunt animi sensus separatae à mundo animæ. Hos non comprehendit, quia non amat: Da mihi, inquit S. Augustinus, animam Dei amantem, ea totum id, quod dico, comprehendit, quia experitur; sed animæ Deum non amanti hæc lingua peregrina est.

November,  
Psalm. 27.  
25.

III. Si qua anima tantas divitias in perfecta nuditate invenit, quantam felicitatem non invenit, ubi perfectè se Deo committit? Tu Domine, dicit ipsi, in me es, atque magis animam meam animas, quàm anima corpus meum: atque in te, & in sinu Providentiæ tuæ sum, quemadmodum infans in gremio matris suæ. An non in pace quiescere mihi licet, imò cum tranquillitate eidem indormire? Deus semper de me cogitat; an non tutò mei oblivisci possum, nihil metuens, ne is mei non recordetur? An is desereret hominem, qui se ei penitus addicit? homo, quantumcunque arrogans esset, id non faceret. Deus semper mecum est per suam præsentiam, per suam protectionem,

Q 2

&



November, & auxilium : an igitur quidquam agere melius possum, quàm ei me affigere per continuam subjectionem ; quàm eo nisi per vivam confidentiam ? Deus in me totus occupatur, semper attentus mihi, nec quidquam facit, siue naturæ, siue gratiæ spectemus ordinem, nisi propter me. Si igitur me totum ipsius curis committo ; an ulli me periculo expono ?

*Confundere, si hanc linguam non intelligis ; id enim signum est, te nec ab omnibus separatum esse, nec te integrè Deo commisisse.*

Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? *Psal. 72. 25.*

Si habemus te, quid ampliùs volumus?  
*Augustin.*

## DIES XXVIII.

### Christus Hominum Est Reconciliator.

#### I.

**N**on est, nisi unus Mediator Dei, & hominum, inquit Doctor gentium : & hic est Iesus Christus, qui è cælo se demisit, Patrem suum cum hominibus reconciliaturus. Ut quis perfectus sit reconciliator